



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **USQUE VIGUIT** PAROECIALIS AEDES BEATAE MARIAE  
VIRGINI SUB VOCABULO  
REGINAE POLONIAE DICATA, INTRA DIOECESIS SANDOMIRIENSIS FINES SITA,  
IN CATALOGUM BASILICARUM MINORUM REFERTUR Ad perpetuam rei memoriam. – Usque viguit inter Polonas  
gentes in Virginem Mariam pietas, quam ipsae saeculorum decursu studiose coluerunt eidemque innumera sacra  
aedificia animose dicarunt. Congruentes igitur iustasque repperimus causas postulatis satisfaciendi, quae nuper admovit  
Venerabilis Frater Venceslaus Świerzawski, Episcopus Sandomiriensis, qui, vota cleri fideliumque significans, rerum  
liturgicarum studio permotus, flagitavit ut Beatae Mariae Virginis sub titulo «Reginae Poloniae» templum, in loco  
«Stalowa Wola», ipsius in dioecesi situm, inter Basilicas minores referretur, iuribus et privilegiis publice riteque  
locupletaretur. Itaque rata omnino habentes quae, Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum statuit,  
Apostolica Nostra usi auctoritate, sacrum aedificium de quo supra est facta mentio, quod olim Nos Ipsi dedicavimus, in  
numerum Basilicarum minorum adscribimus, omnibus iuribus et privilegiis templis his consentaneis exornamus. Teneatur  
deinde Decretum «de titulo Basilicae minoris», die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX evulgatum, contrariis rebus  
minime officientibus quibuslibet. Ceterum templi huius aedificatio solidam fidem demonstrat et fervidam in caelestem  
Matrem affectionem. Tales quidem testificationes exoptamus ut futuro quoque de tempore a cunctis fidelibus continenter  
reddantur. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXXI mensis Augusti, anno MCMXCV,*  
*Pontificatus Nostri vicesimo.* ANGELUS card. SODANO  
Secretarius Status © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana

---